Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

affuit. Se quoque esse dominam orbis et matrem salutis universorum non nulla indicia dedit. Hec decumbentis servuli miserata afflictionem, seposita non deposita sue maiestatis dignitate familiariter se prope me collocavit, verba consolationis impendit, et me certa spe meliorum ad vitam erexit. Sed ut iam evidenter patet non minus diu vires ex consolatione sumpte affuerunt, quia nec referre grates nec pro beneficiis honoris vicarium munus rependere sensus aut virtus fuit. Conferre enim graciam bonum, at non referre durissimum humanitatis exemplum. Et nunc huius negligentie vel impossibilitatis verecundia gravius nunc quoque confundor. Verum illam optimam rerum arbitram non latuit iniquum esse ut hominis vicio deputetur quod ei voluntate non geritur. Causa propter grave illud scelus me scilicet insimulare gratie beneficiis sui negligentem extitisse, misericordia non attendit. Immo tamquam priora beneficia subtraxisset nisi ea posterioribus cumularet, et quasi minora illa viderentur ac si levia spargeret, nisi ea beneficiis maioribus aggravaret, magnam denuo presente graciam impendit, et spem futuris votis quam maximam comprimisit. Attendite ergo quod deinceps matrem misericordie, non matrem misericordie misericordissima contulerit. Siquidem domina cuius sanctitas est inenarrabilis, cuius pietas est incomparabilis, cum videres infirmum tuum ecce os et ecce angustias faucium et fedorem noxie tabidum, et idcirco nichil abeo tue consolationis receptum, adiungens te ei materno affectu verba de sinu tuo protulisti, et lactis tui saluberrimo gustu fedam oris saniem diluisti, et graciam mox sanitatis indulsisti. Sic ergo que pacem orbi reportavit, post huius visitationis dignationem compromisit. Recepisti nunc ait vite temporalis usum, verum pro luisse me in his noveris quod me optinente possessurus es vite perennis interminabile gaudium. Dixit hec et recessit. Verum ille desperatus immo magis pro mortuo reputatus sanus apparuit, et memor recepte sanitatis numquam deinceps oblivisci potuit. Que vero mens quomodo ad repromissum hunc sempiternum gaudium veniatur, quibus passibus, quo ducatu illud rapiatur, sufficiatur.

Ad illud inexplicabile gaudium triduum iter est, et sunt diebus singulis duces singuli ducatum prebentes. Prima dies est penitentia, secunda dies iusticia, tercia dies est premium laborum. Prima die que est penitentia ducit gratia que beneplacitum dicitur, et ipsa est qua vocamur secundum effectum in se, et ipsa est qua convertimur secundum effectum quod fit in nobis. Secunda die que est iusticia ducit gratia que meritum dicitur, et ipsa est qua iustificamur secundum effectum quod fit in nobis. Tercia die que est premium laborum ducit gratia que retributio dicitur, et ipsa remuneramur secundum effectum in se, et ipsa glorificamur secundum effectum quod fit in nobis, id est a servitute corruptionis liberabimur. Quia autem subministrator triplicem hanc gratiam deus est Ihesus Christus heri et hodie ait apostolus ipse et in secula. Heri propter penitentiam precedentium peccatorum, hodie propter instantiam meritorum, ipse et in secula propter incommutabilitatem premiorum. Unde mandat Herodi: Ecce ego eicio demonia et sanitates perficio hodie et cras, et tercia die consummor. Hodie eicit demonia per penitentiam, cras perficit sanitates per iusticiam. Cras est altera ratio hodierni quod indicat quod dicitur: Verte impios et non erunt. In tercia est altera ratio utriusque, quia illi duo miserie, ille tercius est felicitatis. In hac die fit consummatio non consumens ad defectum, sed consummans ad perfectionem honoris et glorie. Hac ipsa ratione ego inquit sum via et veritas et vita. Via per penitentiam, ad iusticiam veritas promisse remunerationis in ipsa iusticia, in qua iustus semper habet respicere ut iustus esse possit. Unde et antiqui iusti secundum apostolum respiciebant semper in remunerationem. Et vita ipsa remuneratio. Ipse enim est ostium per quod ingredimur inter angustias penitentie, et egredimur per libertatem iusticie, et pascua invenimus vite eterne.

Ter in anno ait apparebit omne masculinum tuum coram domino, et proponit tres sollempnitates: pascha, pentecostes, scenophegia. In pascha iubentur offerri novi panes cum lactucis amaris, spice torreri ut grana offerantur, et agnus assari, que omnia ad novitatem vite et amaritudinem penitentie et satisfactionis laborem pertinent. In pentecosten novi panes soli offeruntur, que sinceritatem iusticie commendant. In scenophegia de cunctis frugibus offertur quod erit in futura remuneratione cum venient in exultatione reportantes manipulos suos. Tres erant sollempnitates septimi mensis. Primo die mensis erat sollempnitas tubarum predicationis evangelice qua dicitur: Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. Decimo die mensis sollempnitas expiationis. Iusticia nempe est qua emundantur et emendantur piacula peccatorum. Quinta decima die sollempnitas tabernaculorum, id est scenophegia, que erit in tabernaculis iustorum in voce exultationis et salutis. In huiusmodi misterio tres David unctiones accepit: post primam hostes fugit, post secundam hostes vicit, post terciam in pace regnavit. In eodem significando in psalmis quinquagenos: Miserere mei deus, psalmus penitentialis; secundos Misericordiam et iudicium, psalmus iusticie index; tercios concludit psalmus laudationis. Sic Ierusalem ubi regnavit primum Iebus, id est conculcata, deinde Salem, id est pax, demum Ierusalem, id est visio pacis appellata. Sic Samaritanus noster vinum et oleum infudit vulneribus et sanato vade in pace dixit. In eadem significatione Christus parasceue, hoc est in preparatione patitur, sabbato quiescit, die tercia resurgit. Similiter cum Maria pedes domini ungimus per penitentiam, caput ungimus per iusticiam, totum eum ungimus cum non cognoscimus eum ex parte, sed videbimus eum sicuti est. Et quod est